

in sinu codicem initi fœderis, et oculos manusque in cœlum levans dixit: « Hæc sunt, Jesu Christe, fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere, per numen tuum sancte jurarunt, datamque sub numine tuo fidem violarant, perfide Deum suum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es (ut aiunt, et nos hallucinamur), tuas measque injurias, tu quæso, ulciscere. » Post hæc cœpit inclinari exercitus Christianorum, cum ad prædam Hungari conversi essent; quare hi in fugam acti, Uladislaus manu et capite truncatus est, iis Amurathi allatis, Bonfin. l. XXVI. de rebus Hungar. dec. III. et chron. gener. Hispan. p. IV. Discite hinc, quam execretur Deus perfidiam etiam in Christianis contra hostem capitalem Christi et Christianorum.

Celebrantur e contra Romani, de servata fide tam hostibus quam amicis: ob quam ad se gentes omnes facile pertraxerunt. Imprimis vero celebrantur non solum a Cic. 1. de offic. Plinio, l. 1. de viris illustribus, sed etiam ab Augustino, l. 1. de civ. cap. XV. Attilius Regulus consul, qui ab hoste captus et Romam missus, ut permutationem captivorum impetraret, dato iurejurando, si non impetrasset, in captivitatem rediret. Quid ergo? In senatu conditionem dissuasit, rejectisque a se conjugem et liberis, Carthaginem ingressus est ad hostem: ubi in arcam ligneam conjectus clavis introrsum adactis, vigiliis ac puncturis exercuciatus, duram mortem subire maluit, quam fidem hosti datam fallere.

VI. Quæ committitur in amicum per instabilitatem, cum scilicet adversitatis tempore desideretur. Pejus hoc videtur, quam non servare hosti fidem, quia amici conditio melior esse debet, quam inimici. « Fides quando promittitur, inquit S. August. in ep. ad Bonif. etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur? » Quæ causa est cur Ludovicus II. suprad. cum audivisset amicos parentis sui Lutetie defuncti, non interfuisse ejus funeri, sed mox ad eum confugisse quasi regem saluturos, repulerit omnes velut perfidos et fictos tantum amicos, Bellefor. ubi sup. Nihilo fidelius egit illa mulier cum marito suo defuncto, quæ (ut narrat Holcot. in l. Sap. l. CXI.) cum jussa esset a marito morituro vendere bovem, et pretium ejus dare pro anima viri pauperibus, venum quidem duxit bovem, sed una etiam catum; et catum quidem pro marcha auri, bovem autem pro obolo licitata est, ita tamen ut unum sine altero non venderet. Vendidit ergo utrumque, et pretium quidem bovis (obolum) pro anima mariti dedit: pretium vero cati (aurum) sibi retinuit. Hoc eo retuli, ut intelligeremus multas ejusmodi fraudes et perfidias committi a viventibus amicis

in defunctos, adeoque raros esse qui de mortuis suis amicis servent fidem amicitie et succurrere adlaborent.

Similiter delinquant, qui in gratiam amici, præsertim in angustiis positi, testimonium veritati non dant, sed mutescunt.

Verum sciunt hæc omnia eludere, tegere, vel palliare homines. Alii tuendæ vitæ aut famæ necessitatem proferunt; alii votum aut juramentum superveniens alii acceptam ab eo injuriam, cui fidem non servant: *Sed cum venerit Spiritus veritatis, ille testimonium perhibebit hæc omnia vana esse.* Nec enim licet facere majus malum ad vitandum minus, adeoque peccare ad vitandum damnum corporis aut infamiam: nec obligant vota aut juramenta, cum non possunt sine peccato adimpleri, nec licet homini privato seipsum ulcisci, nec judicem esse sui ipsius.

Denique, horum omnium fides adulterinam meretur mercedem: quod exemplo Caroli IV. imp. ostendere possumus, qui cum Philippo Austriæ duce congregari armis metuens, tres ex hostilibus castris duces evocavit, iisque aurum pactus est, si principi suo fugam suaderent, prælium dissuaderent; re obtenta duces illos proditores auro adulterino solvit. Deprehensa fraude redeuntibus et monetæ falsitatem objicientibus ducibus: « Abite, inquit, furciferi, in malam crucem. Quam aliam meretur pecuniam vestra proditio atque perfidia? Adulterina fides, quam domino vestro præstitistis, adulterinum meretur aurum, non purum ac putum. » Itaque confusi duces cum ignominia discedunt, Hieronymus Zieglerus, de viris illustribus German. cap. LXXXVII. Similem mercedem expectent a Deo perfidi.

Sequamur itaque consilium S. Joannis, quod scribit in persona Christi ad episcopum Smyrnæ, Apoc. II. *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ.*

CONCIO III.

SCANDALUM ACTIVUM COMMUNI OMNIUM SANCTORUM
CALCULO VITANDUM.

I. Ostendit Deus. — II. Ostendit Christus. — III. Ostendit Deipara. — IV. Ostendunt angeli. — V. Ostendunt patres veteris testamenti. — VI. Ostendunt sancti novæ legis.

THEMA.

Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini.
Joann. XVI.

Nostis, auditores, publicas et communes noxas, clades et pericula, communi opera, averti et arceri. Sic incendia communi omnium vici

norum restinguuntur auxilio; sic lupi et canes rabidi communi incolarum pelluntur et necantur manu; sic viæ publicæ et regie communi reficiuntur et conservantur opera: proinde non unum hominem, sed totam offendit communitatem, qui ejusmodi noxam affert aut procurat. Hujusmodi malum in regno Christi est scandalum, quod non uni aut alteri homini, sed toti nocet communitati. Hinc omnes qui illius regni membra sunt, invenio communi quasi ope maxime adlaborasse, ut scandala tollerentur. Quod ego si ostendero, quis in posterum audebit rem tam noxiam in publicum afferre.

I. Ostendit Deus: nam imprimis justissimam iram suam cohibuit ab Hebræis, ne inde extollerentur gentes, eorum hostes, et pertinaciores fierent. Sic Num. XIV. cum proposuisset murmurantem populum ferre pestilentiam et consumere in deserto, interposuit se Moyses orans et dicens, inde consecuturum ut gentes blasphemarent nomen ejus, quasi non potuerit eos inducere in terram promissam, et idcirco occiderit eos. Moxque placatus Dominus dimisit eis supplicium juxta verbum Moysis, ne videlicet infideles ex hoc scandalum arriperent: et Deut. XXXII. ait: *Dixi, ubinam sunt? Cessare faciam ex hominibus memoriam eorum. Sed propter iram inimicorum distuli, ne forte superbirent hostes eorum, et dicerent: Manus nostra excelsa et non Dominus fecit hæc omnia.* Similiter Exodi XXXII. cum Hebræos delere statueret propter vituli adorationem, Moyses ei objecit: *Ne quæso dicant Egyptii: Callide eduaxit eos ut interficeret in montibus et deleteret e terra, quiescat ira tua, etc.* et statim placatus est Dominus ne faceret malum quod locutus fuerat.

Denique, idcirco voluit Moysen occulte sepe- liri, ut nemo mortaliu ejus nosset sepulcrum, ne Judæi ansam arriperent, si id nosset, Moysen pro Deo colendi, ut communiter sentiunt pp. Chrysost. Procop. Theodoret. Hunc in modum etiamnum infinita scandala nobis objecta tegit, et occultat Deus; quæ si adverteremus, millies impingeremus.

Quando igitur Deus justitiæ suæ vim quodammodo cohibuit, et dilecti servi sui sepulcrum occultavit, (cum tamen aliorum sanctorum sepulcra vellet esse gloriosa) ut scandalum averteret, quid non faciendum nobis? Ubi sunt, qui dicere solent: Quid ad me, si alii sinistre interpretentur quæ ego bona intentione et securus in conscientia facio? Sane si res talis sit, quæ scandalum ex natura sua parere solet, et sine peccato, gravi damno et difficultate tolli potest, tollendam jubet charitas, licet ex se mala non sit: imo etiam si bona sit, ut punitio peccati, cum timetur scandalum schismatis, ex August. l. III. contra Par-

men. c. II. connectio fraterna, impletio præcepti positivi, etc. Ubi intelligenda de scandalo pusillorum, id est, ignorantium; non de scandalo Pharisæorum, qui malitiose scandalizantur, et quodammodo volentes et videntes impingunt.

II. Ostendit Christus primo, seria dehortatione et comminatione. Non enim invenio Dominum contra aliud vitium adeo detonasce, ac contra scandalum. Ait enim Matth. XVIII. satius esse molari lapide ad collum appenso demergi in profundum maris, quam scandalizare vel unum parvulum; ait eruendos oculos, abscondendas manus et pedes cum nos scandalizant; minatur vae, id est, æternam damnationem scandalosis. Adhuc in suis sermonibus et cohortationibus sæpe admonuit suos ut ne scandalizarentur sive in ipso, sive in futuris persecutionibus.

Secundo, idem docuit exemplo. Primo enim, ne Judæi scandalizari possent in ejus natalibus, quasi ipse illicito thoro natus, et mater ejus fornicaria esset, voluit matrem suam virginem Josepho desponsatam esse: *Quid enim Judæis, inquit S. Ambrosius, l. II. in Luc. quid Herodii possit adscribi, si natum viderentur ex adulterio perscusi?* Secundo, Matth. XVII. solvit didrachma exigentibus in Capharna, licet prius ostendisset, liberum se ab hoc esse: *Ut autem non scandalizemus eos, inquit ad Petrum, vade ad mare et mitte hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te.* Ecce quanta operum mole amolitur scandalum, mittit Petrum ad mare, jubet parare hamum, et ut vult Hieronymus, creat staterem in ore piscis, illum capere jubet, interim expectat, dum hæc omnia fiant. Et hæc facit medicus, qui et huic vel aliis animi morbis facile mederi poterat. Quid non faciedum nobis, qui per scandalum quidem vulnerare possumus, sed sanare non possumus?

III. Ostendit Deipara Virgo, dum post partum instar aliarum mulierum, licet angelos puritate vinceret, per quadraginta dies ab ingressu templi abstinuit, et legem purificationis servavit, ne homines scandalizarentur, quasi legem violaret, aliusve mulieribus melior esse vellet. Itaque de suo jure, honore et prærogativa cessit cum non teneretur, ut scandalum vitaret. Edificaverat Publicola primus, post exactos Romanorum reges, consul Romanus vir honoratissimus, ita appellatus quod ab omni populo vel publice coleretur, edificaverat inquam, in præalto loco sedes magnificas, et inauditæ ob id in suspensionem venire affectati imperii. Quid igitur fecit? Funditus illas sub primam noctem subruere præcepit. Quo actu ita delectatus est senatus populusque Romanus, ut non modo illum in consulatu confirmaverit, sed domum etiam ei construxit

longe augustiorem, et vita functa in urbe sepeliri voluerit, cum alii extra urbem sepelirentur, et per annum mortem ejus luxerit. Refert Plut. in Publicola. Ergo vir gentilis, ne suo ædificio aliorum animos offenderet, quasi imperium ambiret, tantam rem effecit, quid faciat Christianus ne offendant proximos? Porro hunc non absimile est, quod Deipara fecit. Ipsa enim cum Dei Mater et a lege purificationis exempta esset, poterat haud dubie suo uti privilegio. Verum ne aliorum offenderet animos, quasi aliis mulieribus melior aut major esse vellet, suo juri cessit, et similis aliis matribus cum filio in templum venit. Quamobrem jure merito exaltata est a Deo super omnes cælestes.

IV. Ostendunt angeli, qui ne hominibus, quos custodiunt, scandala præbeantur, sedulo laborant, juxta Ps. XC. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Lapidem autem in via positi, potissimum scandala sunt, quibus mundus plenus est. Exemplo est angelorum princeps Michael, qui ut scribit Sanctus Judas, et sentiunt communiter omnes interpretes, altercabatur cum diabolo, quia ipse corpus Moysis, quod ne a Judæis ad idololatram pronis coleretur pro Deo, voluit Deus per angelos occulte sepeliri, conabatur manifestare, ut sic Judæos pelliceret ad idololatram. Ergo Sanctus Michael, quando vidit fore hoc Judæis certissimæ offensionis lapidem, impedivit dæmonem, et a sepulero illo abegit. Exemplo id etiam Gabriel, qui ut legimus, Daniel X. cum alio angelo Persarum præside amice concertabat, ut populus Hebræorum, cui ipse præerat, in Babylone captivus, inde in patriam reduceretur, eo quod videlicet multi ex Hebræis ob consuetudinem et cohabitationem cum Persis seducerentur ad idolorum cultum: quod etiam obtinuit ope S. Michaelis sese adjuvantis. Resistebat angelus Persarum, quod ipsorum multi per Judæos emendarentur, sed nihil obtinuit. Unde patet, satius esse omitti bona quam scandalum præberi. Exemplo est angelus ille (itidem Michael, ut vult Procopius) qui stricto gladio obstitit Balaamo pergenti contra Hebræos, ut illis malediceret, et laqueos tenderet, Numer. XXII. Sed quia fidem fefellit Balaam et ad extremum petram scandali objecit Hebræis, filias scilicet Moabitidas, idcirco postea gladium angeli sensit, et in prælio ab Hebræis interfectus est, Num. XXXI. Denique, angelos intelligere debemus eos, qui e medio tritici cupiebant eradicare zizania, seu reprobos, qui sunt aliis offendiculo, quod si modo non omnino facere sinuntur, facient tamen in fine mundi, cum de regno Christi colligent omnia scandala, id est, scandalizantes, mittentes eos in

caminum ignis, uti legimus, Matth. XIII. Ecce quanto pro nobis adlaborent angeli ne scandala incurramus! Ergone auderet aliquis ponere in via lapides, quos tollere e medio sancti angeli satagunt, et tandem in caminum ignis mittent?

V. Ostendunt viri sancti veteris testamenti. Primo, Booz, qui de nocte advertens dormire ad pedes suos Ruth Moabitidem, non solum eam non attigit, verum etiam cavet, ne alii, si intelligerent juxta se cubuisse mulierem, inde offenderentur, jussit eam mane in tenebris abscedere, et præcepit ei insuper: *Cave, ne quis noverit, quod huc veneris*, Ruth. III. Dixit quidam veterum: *Si non caste, saltem caute.* Sed hic noster Booz caste se et caute gessit. Secundo, Eleazarus ille grandævus, unus de primoribus Scribarum, II. Macch. VI. qui cum ab impio rege Antiocho cogeretur contra patrium institutum carnes porcinas edere, mori potius elegit. Eteumii qui adstabant, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogarent afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularet se edisse, sicut rex imperarat, respondit: *Præmitti se velle in infernum. Non enim ætati nostræ dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentes arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.* Itaque fustuario supplicio interemptus est.

VI. Ostendunt sancti novæ legis. Primo, S. Paulus, qui I. Cor. VIII. ait: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum:* et cap. IX. sequente ostendit potuisse jure, se victum ab iis quos docebat, eligere, noluisse tamen et magis in penuria et proprio manuum labore vivere, elegisse, ne quod offendiculum daret evangelio Christi, ne videlicet homines invidi, et avari existimarent eum lucri gratia evangelizare.

Secundo, Marcellinus papa, qui cum in immensa illa Diocletiani persecutione timore correptus thus idolis immolasset, mox illum hujus peccati, quo velut supremus pastor oves suas scandalizarat, adeo pœnituit, ut Sinuessam Campaniæ urbem ad Concilium centum octoginta episcoporum squalidus, pulvere conspersus, et cilicio indutus venerit; ibi lacrymis profusis scelus suum palam confessus est. Quem tamen cum nemo damnare auderet, sed omnes dicerent: *Tuo te ore judica, nam prima sedes a nemine judicatur, Petrum quoque apostolum propter eandem animi infirmitatem deliquisse, et a Deo similibus lacrymis veniam impetrasse.* Marcellinus Romam reversus imperatorem adiit, graviter eum accusans, quod se ad tantam impietatem impulisset. Quamobrem capite plexus, forti martyrio, datum

Cum ergo illi concupiscentiis suis irretiti ad virtutem et sanctitatem nequeant assurgere, sed potius ad interitum et perditionem abripi se videant, quid mirum si illis invideant? Vidit Cain Abelis sacrificia Deo placuisse, utpote cælesti igne absumpta, sua vero minime, Gen. IV. hinc odium in fratrem. Vidit Esau benedictionem patris fratri esse impensam sibi que surreptam, hinc necem ei machinabatur, Gen. XXVII. Viderunt filii Jacob, quod frater eorum Joseph a patre plus cunctis filiis amaretur, idcirco eum oderant nec poterant ei quidquam pacifice loqui, Gen. XXXVII. Viderunt Ægyptii se ab exteris Hebræis sobole numerosa, pulchra, robusta, solerti aliisque animi et corporis dotibus instructa superari, ideo oderant et affligebant eos, Exodi 1. Viderunt Judæi, Scribæ et Pharisei miracula, quæ faciebant apostoli, dona Spiritus sancti in eos infusa, populum eis adhærentem et addictum, ideo dissecabantur cordibus et fremebant in eos, cædebant, occidebant. Vident mundani viros pios, virtuosos, religiosos coli et amari a principibus et episcopis, et præferri sibi, inde oderant illos.

II. Nihil melius accipitur ab impiis veritas, quam ipsi just. Nam et ipsa passim injurias et persecutiones patitur; quamquam non opprimitur, sed emergit tandem ex omnibus periculis. Unde vult Rob. Holcot, in c. IV. Sapient. lect. LXXXVI. in Jona figuratum esse. Jonas enim filius Amathi, id est, veritatis fuit. Quid autem non pertulit Jonas? In navem inscendens tempestate maris jectatur, nec ibi toleratur, sed ejici in mare debuit. Ejectum collegit cetus et in ventrem suum velut hospitium recepit; sed nec ibi persistere potuit: post triduum in littus ejectus est. Postmodum cum a sole adureretur, hederæ umbraculo tegitur: sed ea brevi exarscente, iterum æstare cœpit. Talis ergo est veritas, quam ferunt de cælo in terram venisse, sed nullibi invenisse hospitium, ideo in plateis remanere coactam, pene obtritam fuisse. Id enim indicat Isaias, c. XXIX. cum ait: *Corruit in platea veritas et æquitas non potuit ingredi.* Venit ergo primo, ad palatium principis, et ibi in carcerem mittitur. Expertus est hoc Michæas, qui regi Achab prophetans veritatem, missus est in carcerem, ut: *Sustentaretur pane tribulationis et aqua angustiarum*, III. Reg. ult. Verissimum et bellissimum est quod refert Michael de Palatio (apud Delr. in adag. de Turcico soldano.) Cum enim monachus quidam martyrii amore succensus ad soldanum abiret, a soldano rogatus: *Quorsum venisset?* respondit: *Ut mortem inveniam, veritatem tibi prædicando.* Tunc soldanus: *Ito ad principes tuos, prædica illis veritatem: et mortem, quam apud me quæris, apud illos invenies.* Nimis

profecto vere. Hinc Nathan propheta correpturus David regem veritatem erudita parabolâ velut pilulas auro obtexit, ut eam ipsi insinua-ret. Ac veluti equo efferato frænum pallio teutum clanculum inferri in os debet, ita veritas principibus. Venit deinde ad aulicos; sed et ibi expulsa est, quoniam adulatione et simulatione eos jam occupatos vidit. Postea ad mercatores abiit, sed pene aliud nihil præter mendacia et dolos in eorum ædibus invenit: unde migrare coacta est. Perrexit porro ad juristas, consiliarios et advocatos, verum et hos invenit magna ex parte inimicos; vidit enim plurimos merulis incaveatis similes esse, quæ suis cantant dominis, quod ab ipsis didicerunt. Vidit eos non decidendis, sed prolongandis litibus studere, ipsa jura in utramvis partem flectere, ex uno eodemque textu verum et falsum elicere, quomodo ex eadem campana tonus alius pro visis aliis pro mortuis petitur. Venit post hæc ad cives, sed hi initio quidem de aliis loquentem libenter audierunt, sed ubi etiam ipsos tangere cœpit, exulare debuit. Quid quod etiam advertens ad quosdam confessarios et verbi Dei præcones, locum non obtinuit; vidit enim non paucos: *Canes esse multos nec valentes latrare*, mutari cum vento, sicut navis vexilla.

Quæ hujus odii causa? Eadem fere, quæ odii bonorum. Nam primo, veritas odio habetur quia adversatur sensui impiorum. Voluntatem concupiscentia, voluntas intellectum depravat: unde perversis videtur bonum esse, quod suggerunt eis passionibus. At veritas id solum asserti bonum esse, quod honestum est et secundum rationem ac Dei legem: hinc odium veritatis. Ut enim oculis male affectis molestum et adversum est lumen, ita veritas depravatis sensu hominibus, v. g. cum superbis commendatur et suadetur humilitas, avaris liberalitas, ebriosis sobrietas. Cambysen Persarum regem, ut scribit Seneca, l. III. de ira, c. XIV. vino deditum Praxaspes unus ex charissimis monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens ebrietatem in rege, quem oculi omnium auresque sequerentur. Ad hoc rex: *Ut scias, inquit, quemadmodum nunquam excidam mihi, apparebo jam et oculos post vinum in officio esse et manus.* Bibit deinde liberalius quam alias, et jam gravis et vinolentus, objurgatoris sui filium procedere ultra limen jubet, allevataque super caput sinistra stare. Tunc intendit arcum et ipsum cor adolescentis figit, recissoque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit, ac respiciens patrem, an satis certam haberet manum interrogavit. Ecce ebriosus rex dum sibi temperans videtur et præsens, veritatem sibi ut inimicum apprehendit et a se repellit, insanie insaniam adjiciens. P. Ber-

scribat, illi vero vel non utantur, vel dolose utantur, vel etiam si inspectores eorum peperam agant; ita nemo etiam offendi debet, si quando catholici aliqui non vivunt iuxta fidei suae praescripta; sacri enim canones et caeterae fidei leges istiusmodi homines damnant. Quid vero illud est, quod Lutherus et Lutherani passim mores nostros taxant, et interim ss. canones comburunt? Annon hoc est conqueri de furibus, et interim tribunalia evertere, et furcas abscondere?

Secundo, intueri suorum mores deberent, et invenirent longe perversiores, quodque caput est a dogmatibus suis fluentes. Testatur id Lutherus ipse in Postilla domest. 1. dom. advent. ubi ait: *Mundus ex mea doctrina de die in diem deterior evadit.* Idem testantur Melanchthon, ad cap. VI. Matth. Andreas Musculus, dom. 1. advent. Joannes Brentius, ad cap. III. Matth. Jacobus Andreae, Gaspar Hedio, Bucerus et alii praecones de suamet secta apud Adamum Tannerum, pag. II. anatom. confess. August. demonst. VIII. § III. nempe cum et ex Lutheri doctrina crevisse in mundo scelera. Et quid mirum? Quid enim ex his eorum dogmatibus: praeccepta decalogi servari non posse: opera bona non mereri vitam aeternam: solam fidem justificare: liberum arbitrium in actionibus nullum esse: opera bona etiam optime facta esse peccata coram Deo: neminem baptizatum, quantiscumque peccatis perire posse, nisi nolit credere: quid inquam, ex his dogmatibus fluere, nisi scelerum omnium colluvies potest? Quis enim oret potius, quam blasphemet? Eleemosynam det, quam furetur? Jejunet, quam se inebriet? Omnia enim haec necessaria sunt, imo peccata secundum illos. Et quis non liberrime peccet, si nullum nos peccatum a caelo excludere potest?

Tertio, intueri deberent plura, quae fiunt bona apud catholicos, quam apud ullum sectam. Si enim aspiciunt ex una parte paucos summos pontifices, episcopos, monachos, etc. qui in aliquibus deliquerunt, considerent ex alia plurimos bonos et sanctos ac mirabilium patratores: si displicent illis clerici mali, placeant illis boni et innumeri religiosi, qui in statu perfectionis vivunt innocentes: si displicent illis abusus aliquot, qui in vulgus irrepserunt, nec statim emendari possunt, placeant illis usus devotorum pii: si displicent illis, quae Romae mala fiunt, cur non placeant innumera, quae fiunt bona? Tot sacrae aedes, tot hospitalia, seminaria monasteria? Tot opera humilitatis et mortificationis, tot eleemosynae, dotationes pauperum puellarum, etc. quae fiunt a pontifice, cardinalibus, episcopis, praelatis, ordinibus? Ve-

rum quemadmodum porci non rimantur hortos et palatia, sed latrinas et cloacas, ita illi Romae non currunt ad ecclesias et monasteria, sed ad ganeas et popinas, ad triclinia et prostibula.

Causa est, quia diabolus eruit illis oculos dextros, sinistros reliquit, ut sinistra tantum videant: sicut Naas Ammonites voluit facere civibus Iabes Galaad, II. Reg. XI. et sicut Balac rex, cum vidisset ariolum suum Balaam non potuisse Hebraeorum castris maledicere ex eo loco, unde totum contuebatur, duxit illum in alterum locum, unde partem tantum eorum videre posset, indeque malediceret, Num. XXIII. Ita enim diabolus circumducit etiam haereticos, ut non videant totum id, quod fit apud catholicos, sed aliquos, tantum abusus et aliorum lapsus, bona vero praetereant.

II. Scandalizantur alii in mala clericorum vita, necnon praelatorum. Sed hi imprimis cogitent monitos se esse a Christo de talibus: *Quod dicunt facite, secundum opera autem eorum nolite facere*, Matth. XXIII. Vult dicere Dominus, se non permissurum facile, ut qui legitime sedent super cathedram Ecclesiae, falsa praedicent: vel si id permiserit, suis modis falsitatem aperit. Unde licet ipsi forte Deum deseruerint, non tamen idcirco Deus deserit illos in officii sui administratione, sed nihilominus dirigit ne subditos seducant. Hinc ad Josuen ducem suum dixerunt Israelitae: *Omnia quae praecipisti nobis, faciemus: et quocumque miseris, ibimus tantum sit Dominus Deus tuus tecum*, Jos. 1. colligitur ex his verbis, quandoque Deum esse cum praelato per directionem, licet ipse non sit cum Deo per gratiam, et proinde nihilominus ei per omnia obediendum. Et sane experientia testis est, pastores et rectores bona praedicare et consulere, licet ipsi mali sint, vel si forte falsa doceant, cito imposturam detegi. Invigilat eis Ecclesia, et mox errantes corripit.

Secundo, quia mala eorum vita nihil tibi nocet. Quid enim tibi obest, etsi a scabioso tabulario accipias litteras regis? Qui solum a bonis volunt addiscere, similes sunt illis qui in scyphis argenteis vel aureis tantum volunt bibere, et in purpureis saccis frumentum recipere, quorum profecto sitis famesque miseratione digna non est. Quid a te, quid agant clerici et superiores? Ipsi onus suum portant, suo tempore rationem reddituri. Quod si diu impuae peccant, redarguit saltem eos, et damnat S. Scriptura, et judicabit aliquando Deus. Boves filii duodecim qui portabant mare aeneum capitibus tantum et anterioribus partibus prominebant, posteriora vero eorum intrinsecus latitabant, III. Reg. VII. ut indicaretur, pastorum decora et bona opera patere, foeda vero et mala tegi,

ac Dei iudicio reservari debere. Unde Constantinus Magnus imperator sacerdotum aliquot contentiosos libellos sibi oblatos in sinum reposuit et Vulcano consecravat dicens: *Sacerdotum iudicium Deo reservo*, Egnat. l. 1. c. 1. ex Eusebio.

Tertio, quia etiam mali clerici et superiores possunt tibi prodesse. Sicut umbra Petri sanasse dicitur aegrotos, Act. V. licet enim clerici et praelati non sint ipse S. Petrus, quoad sanctitatem et pietatem; sunt tamen umbra ejus, quoad clavem et potestatem. Poterunt ergo similiter conferre sanitatem et procurare salutem aliis, licet id sibi non faciant. Sic etiam aegroti medici curare aegros possunt, licet forte seipsos nequeant.

Quarto, cogita et ipsos esse homines, tibi et aliis similes. Tametsi enim in sacris ordinibus vel gradu dignitatis constituti sunt, non idcirco tamen naturam exuerunt, quam habuere prius, nisi qui in disciplina regulari vel simili bene instituuntur. Unde si qui malam ducant vitam, parentibus eorum potius imputetur, qui vel vitae intemperantia malam illis indidere complexionem, vel in tenera aetate male eos instituere. Quo in genere peccant etiam plerique parentes, qui filios suos tarde nimis ad studia applicant, et cito nimis ab eis avocant. Ex primo enim fit, ut disciplinam non recipiant indurata jam cer vice: ex altero, ut musis, quas vix salutarunt, non delectentur, indeque spretis honestis et liberalibus studiis ad profana et noxia se convertant.

III. Scandalizantur alii cujuscumque generis in peccatis proximorum. Sed isti cogitare debent primo, quod Christus nos praemonuerit, ne in talia impingamus scandala, quae necessario sunt eventura, uti Matth. XVIII. *Vae mundo a scandalis!* et in hodierno evangelio: *Haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini*: et alibi saepius. Jam si gentiles dicit apostolus inexcusabiles, quod a creaturis visibilibus sufficienter admoniti, ne idola colerent, non caverint, ad Roman. 1. quanto minus excusabuntur ii, qui creatorem ipsum se monentem non audiunt? Quare optime S. August. epist. CXXXVII. monet: « Manifestum est quidem, inquit, quia ista in Ecclesia non accidunt sine gravi tristitia sanctorum fidelium; verumtamen consoletur nos, qui cuncta praedixit, atque ut abundantia iniquitatis non refrigescamus, sed in finem perseveremus, ut salvi esse possimus, admonuit. »

Secundo, cur non potius times ob lapsum alienum? Quis enim videns aliquem ante se collabi, ad ejus imitationem seipsum terrae affigit, et non potius cavet, ne simili casu ruat? Hinc enim sacra Scriptura recenset aliorum

lapsus, veluti Davidis, Judae, etc. non profecto ut imitemur, sed ut fugiamus. Unde S. August. in Ps. L. de peccato Davidis scribit: *Sit casus majorum tremor minorum, ad hoc propositum est tanti viri peccatum, etc.* Hinc S. Ambrosius excipiens confessiones et grave aliquod peccatum audiens, illud deplorabat acrius, quam ipse poenitens: tantum abest, ut inde scandalizaretur.

Tertio, scito pusillum esse, et imperfectum valde quicumque scandalizatur, ut notat Origenes, super. Exod. XXI. et colligit ex verbis Matth. XVIII. *Quicumque scandalizaverit unum de pusillis istis minimis, etc.* Quam enim insipiens infans esse debet, qui ad alterius lapsum collabitur? Quam ruinosa domus illa, quae ad vicini parietis ruinam, corrui et ipsa? Itaque: *Frates, nolite pueri effici sensibus*, ait apostolus, 1. Corinth. XIV. Pusillum etiam esse in amore erga Deum et proximum. Erga Deum, quia propter unius malum exemplum tam facile eum offendit, et ab eo recedit: *Nam qui diligit, scandalum in eo non est*, 1. Joan. 1. et, Ps. CXVIII. *Par multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.* Exemplum praebet S. Petrus cum caeteris discipulis. Cum enim aliqui retrorsum irent a Christo discedentes, Joan. VI. et Christus reliquis diceret: *Numquid et vos vultis abire?* respondit Petrus: *Domine, quo ibimus?* *Verba vitae aeternae habes.* Erga proximum, quia qui diligit proximum, quidquid videt, in bonum interpretatur, vel minuit, vel peccatoris miseretur; neque peccata proximi evulgat, sed potius coram Deo deplorat. Unde S. Bernardus, serm. XL. super Cantic. scribit: « Cave, inquit, alienae conversationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes: puta ignorantiam, puta sur-reptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipsi tibi, et dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? » Sic ille.

CONCIO V.

MALI CUR BONOS ODERINT, ET CUR VERITATEM.

1. Bonos mali oderunt: 1. Quia moribus eis dissimiles. 2. Quia a bonis reprehenduntur. 3. Quia boni in mundo peregrini, ob invidiam. - II. Veritas quoque odio habetur, et causae hujus odii: 1. Quia adversatur impiis. 2. Quia redarguit malos. 3. Quia peregrina est. 4. Quia victa est.